


**05**

**A**

**2357**





3

DISPUTATIO ETHICA  
*De*  
TEMPERANTIA,

*Quam*  
In Alma Leucorea  
DUCE DEO  
ET PRÆSIDE

WILHELMO NIGRINO

Phil. Pract. Professore Publico  
discutiendam

*Publicè proponit*

MATTHIAS ANDREAS LAURENTIUS  
Lipsiensis.

*In Collegij Veteris ἀκροατηρίῳ*  
Ad diem IX. Nov. horis antemeridianis.

---

Ex Officina Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,  
ANNO MDC XXXVII.

*(Wittenberg)*

DISSEMINATIO ETHICA

ATTIA




05 A 2357





Περίουσιον.

 *U*lamvis Fortitudinem virtutem Principalem, reliquisq; omnibus anteferendam esse non solum Philosophorum Princeps Aristoteles, sed & ferme omnes, qui hactenus conscripserunt Ethicam, statuerint, eam tamen simpliciter agmen ducere, atq; ceteras omnes ita superare, ut nulla virtus peculiare quid habeat, quod non in Fortitudine reperiat, nunquam asseruerunt, sed potius & reliquis suas partes tribuerunt. Magnanimitati enim palmam porrigit Philosophus ob eminentiam, prerogativam concedit Magnificentiae ob splendorem, Iustitiam virtutem maximam dicit ob regimen summum, imo etiam Temperantiam praefert aliis virtutibus quoad necessitatem maximam, quia conservatrix iudicij in rebus peragendis existit. Alij primum locum ipsi concedunt ob praestantiam materiae, quia ex ea fundamentum nimirum prudentia provenit. Temperantia enim facit abstinentem, sobrium, parcum, moderatum, pudicum, tacitum & verecundum. Haec virtus si in animo habitat libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, cogitationes praedas removet, scientiam inserit, ignem libidinosae voluptatis expellit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ab omni semper vitiorum tempestate defendit. Haec etiam virtus in rebus vel expetendis, vel fugiendis, ut rationem sequamur, monet, pacem animis affert, & eos quasi quadam concordia placat, & lenit. Qua de insigni virtute quasdam theses & questiones

questiones rudi pinguiq; Minervâ compositas hac vice proponere, placideq; disquisitioni examinandas subicere placet. Quò verò Disputatio nostra ad felicem portum pertingat Deum Ter Opt. Maximum ex imis cordis penetralibus rogitamus, ut Sp. Sancti sui efficacia nobis clementer adesse, mentem nostram ita dirigere velit, quò nihil aliud, nisi quod ad Nominis sui gloriam, Ecclesie commodum, fundiorumq; nostrorum emolumentum vergat, meditemur.

Thesis I.

**T**emperantiam à *Temperando* dictam volunt, cum voluptates refrænet, reprimat, coerceat, moderetur & temperet. Græcis dicitur Σωφροσύνη quasi σώζου τὴν Φρένα; *conservans mentem*, quoniam Intellectus & memoriæ mater ac conservatrix est, aut quasi σώζου τὴν Φρόνησιν; (quemadmodum habet Philosophus noster lib. 6. Eth. Nic. c. 5.) *conservans prudentiam*, quia non solum corpus ab adversa valetudine inoffensum præstat, uti apud A. Gellium habetur, sed prudentiam quoq; atq; ingenij dotes sustentat & auget, imò facit ut sit mens sana in corpore sano, iccirco nihil prudentiæ tam inimicum quàm intemperantia & libido.

II.

Accipitur autem vocabulum *Temperantia* vel *Improprie*, quatenus videlicet tribuitur brutis. Sic ab *Æliano* apibus *Temperantia* ascribitur, & turturem castissimum esse vulgo circumfertur; *vel magis proprie* quatenus solis hominibus convenit. In quo significatu sumitur tripliciter 1. *Generaliter* & *late*, pro virtute morali universa, hoc est, pro quavis decentia, modestia ac honestate sive in gustu, vultu, & incessu, sive in sermone, sive in alia hominum actione, ut quando *Cicero* lib. 5. *Tuscul. quaest.*

p. 255. Temperantiam scribit esse moderationem omnium commotionum sive affectuum. 2. *Strictius*, quatenus Clementiam & Modestiam sub se complectitur apud eundem lib. 2. de Invent. p. 148. 3. *Strictissime* pro illa virtutis moralis specie, quæ gulæ ac veneri modum præscribit, seu quæ circa voluptates moderandas occupata est.

### III.

In hoc ultimo significato à nobis accipitur & ab Aristotele lib. 3. Eth. Nic. c. 10. ita definitur. Σωφροσύνη ἐστὶ μεσότης πρὸς ἡδονὰς καὶ λύπας. *Temperantia est Mediocritas circa voluptates & dolores*, h. e. Temperantia est Virtus moralis quæ mediocritatem servat in expetendis & fruendis voluptatibus quæ gustu & tactu percipiuntur, aut perferendis iis doloribus, qui ex rei jucundæ privatione animo concipi possunt.

### IV.

Definitio hæc constat Genere & Differentia. *Genus* est Virtus Moralis. *Differentia* verò desumitur ab *Objecto* quod duplex: *Internum* quod sunt αἱ πρὸς ἐδωδὴν καὶ πόσιν καὶ ἀφροδίσια ἐπιθυμίαι, ut loquitur Plato lib. 9. de Reb. h. e. concupiscentiæ vel cupiditates cibi & potus & rerum veneriarum. Et *Externum* idq; vicissim vel *primarium* vel *secundarium*.

### V.

*Primarium* Temperantiæ *Objectum* sunt αἱ ἡδοναὶ voluptates non animi sed corporis, eaq; non omnes, sed eæ tantum quæ gustu & tactu, præcipuè verò tactu ex cibo, potu & reiveneræ usu percipiuntur.

### VI.

*Secundarium* sunt αἱ λύπαι dolores seu molestiæ, quatenus ex nimio desiderio vel privatione voluptatum oriuntur.

A. 3,

untur.

invenitur. Magis enim versatur Temperantia circa voluptates quam dolores (veluti ipse Aristoteles loquitur ἤτοι γὰρ καὶ ἔχ' ὁμοίως ὅτι καὶ τὰς λύπας, Minus enim nec simili modo circa dolores Temperantia versatur.) Partim, quia difficilius est à præsentibus voluptatibus abstinere, quam moderate ferre dolorem propter voluptatum absentiam; partim quia circa voluptates per se occupata est Temperantia, modum ostendens, quo appetendæ sunt. Circa dolores verò per accidens, quatenus nempe ex voluptatum absentia sequuntur, lib. 3. Eth. Nic. c. 10.

VII.

Ut autem omni virtuti ita & Temperantiæ duo opponuntur vitia, unum in Excessu, alterum in Defectu.

VIII.

Oppositum ergo καὶ ὑπερβολὴν Temperantiæ est ἀκολασία in specie sic dicta Intemperantia, quia ἐν τοῖς ἀκολάστοις h. e. in hominibus incastigatis reperitur, quæ est vitium, quo omnis generis voluptates in gustu & tactu, nulla habita honestatis ratione immoderate & sine discrimine expetuntur. Vel ut Aristoteles habet 3. Eth. 13. Intemperantia est Vitium, quod voluptates si absint, anxie appetit, si adsint furiosè amplectitur, si parari non possint, supra modum dolore afficitur.

IX.

Peccant autem Intemperantes imprimis quatuor modis. 1. In Qualitate, cum quæ jucunda, promiscuè sine discrimine concupiscant. 2. In Quantitate, cum plures & majores, quam convenit. 3. In modo, cum à voluptatibus, instar pecudis quaquâ versus rapiantur, easque rebus omnibus & ipsi quoque honestati præferant, illarumque ob absentiam in mœrore summo versentur, nec interdum



dum vereantur scelera gravissima machinari & moliri.  
4. In Circumstantiis, cum nec loci, nec temporis, nec personarum ullam habeant rationem, modo voluptatibus potiantur suis.

X.

κατ' ἐλλειψιν ipsi opponitur ἀνοησία *stupiditas* seu sensuum stupor, quæ est vitium in aspernandis omnibus etiam necessariis & honestis voluptatibus. Exempli loco à quibusdam adduci solet Diogenes, qui omnes mulieres de arboribus suspensas optavit.

XI.

In Contraria quidem sententia esse videtur *Damasceus* dum in Dialecticis c. 57. Intemperantiam in defectu, & Stuporem sensuum in excessu Temperantiæ opponi scribit. Verum id facit nominis potius, quam rei sive Objecti intuitu.

XII.

Voluptas autem cum sit diversarum corporis partium, oriuntur secundum illam diversitatem, etiam *diverse Temperantiæ Species*.

XIII.

Prima est voluptas gulæ & linguæ, & hanc attemperat *Frugalitas*, quæ est virtus mediocritatem servans in gula moderatione, qua tantum cibi ac potus assumimus, quantum naturæ satis est ad sui conservationem.

XIV.

Extremum hujus in excessu est *Luxuries*, qua immoderate sumpto cibo ac potu, nobis ipsis infortunium procreamus.

XV.

In defectu *Sordes*, cum quispiam corpori suo alimentiam etiam à natura debitam denegat & subtrahit.

Quia

## XVI.

Quia verò duplex in Frugalitate occurrit *Objectum*, duplex exinde ejus resultat *Species*, quarum altera est cibi, quæ *Abstinentia*, altera potus, quæ *Sobrietas* salutatur.

## XVII.

*Εὐνεία* sive *Abstinentia* est Frugalitas, quæ in assumendo cibo, modum tenet naturæ convenientem. Hanc commendat *Siracides* c. 37. v. 31. 32. 33. *Non omnia* (inquiens) *omnibus expediunt*, & *non omni anime omne genus placet*. *Noli avidus esse in omni epulatione*, & *non te effundas super omnem escam*, in multis enim escis erit infirmitas & aviditas appropinquabit usq; ad choleram. Claruerunt hac Virtute diu Arabes, Persæ, Iberorum mulieres, Samanei populi, Athenienses, veteres Itali &c. In historia sacra Abstinentia clarus est Daniel, qui cum sociis in captivitate Babylonica victu tenuiori ali voluit, & regios cibos contempsit, quò melius precationi & studiis vacare posset. *Dan. 1.*

## XVIII.

Huic in excessu opponitur *Πολυφαγία* sive *Voracitas* quæ est *inexplebelis vorandi aviditas*. Hujus vitij admodum famosum exemplum est ille, de quo refert *Vopiscus*, quod Imperatori Aureliano in delitiis fuerit, & ad mensam Imperatoris una die ederit aprum integrum, centum panes, vervécem & porcellum: biberit autem fundibulo ori appposito plus orcâ. Tales etiam voracitate famosi fuerunt *Philoxenus*, *Heliogabalus*, *Sardanapalus*, *Tiberius* & alij.

## XIX.

In defectu ἢ ἀνορία *Inedia* sive nimia abstinentia à cibo, est quæ in edendo à natura debito recedit, estq; nimia corporis

*corporis emaceratio.* Hoc vitium licet rarissimum, imputatur tamen Chryippo, qui studiis adeò immerfus fuit, ut cibi & corporis curæ prorsus oblivisceretur.

XX.

*Νηφαλιότης* sive *Sobrietas* est Frugalitas, quæ in assumendo potu natura & recte rationi modum tenet convenientem. Intelligitur autem sobrietas specialiter & propriè non generaliter sumpta, quatenus notare solet temperantiam in genere. Exempla hujus virtutis possunt esse Lacedæmonij, qui ut hujus præcepti facerent periculum, servos ebrios in juvenum adducebant conspectum, ut hi tumultorum istorum ridiculas gesticulationes intuentes, temperantiæ diligentius studerent.

XXI.

Opponitur ei in excessu ἢ οἰνοφλυγία sive ebriositas quæ est vitium, quo in potu nimium ac præter rationem adsumendo peccatur. Vitio huic apprime deditus fuit Philippus Macedoniae Rex Alexandri Magni Pater, Dionysius Junior Siciliae Tyrannus, Alceta Macedo, & alij complures, quorum meminit *Athenæus* lib. 10. c. 12.

XXII.

In defectu ἢ ἀσυνία sive nimia abstinentia à potu, qua minus quàm decet, potus voluptate afficimur. Vitium hoc cum apud Germanos rarum sit, ideò in illos hoc disticho lusit Poeta quidam Italus:

*Germani cunctos possunt tolerare labores  
O utinam possent tam bene ferre sitim.*

XXIII.

Altera est voluptas membrorum genitalium, quam ad mediocritatem redigit castitas, quæ est temperantia,

B

qua

quã ab illicita Venere quispiam sibi temperans in licitã modum observat : vel est Temperantia in moderanda venere licita & fugienda illicita. Hujus insignis virtutis exemplum esse potest Cyrus, qui abhorrebat à conspectu Pantheæ, Araspã dicente esse mulierem insigni formã, & dignam regis oculis, Ob hoc ipsum, inquit, abstinendum, ne si illam nunc adeam cum vacat, etiam deinceps, cum non vacat, adire cogar.

XXIV.

Ejus species nonnulli duas faciunt nempe puritatem vitæ coelibis & castitatem conjugalem. Illius insigne exemplum est Joseph Gen. 39. Hujus verò Susanna. Item Penelope, quæ integros viginti annos amorem suum erga Ulysssem absentem castè & integrè conservavit, ut Ovid. testatur.

XXV.

Castitati κατ' ὑπερβολήν opponitur ἀσέλγεια sive pruriens libido, quæ est intemperantia in venere modum omnem excedens. Ad hanc referuntur spurcæ cogitationes, obscæni sermones, illicitæ flammæ abusus spermatis, scortatio, stuprum, adulterium, incestus, sodomia, bestialitas. Inter libidinosos referuntur Thraces; de quibus Ovidius 6. Metam. in Historia de Tereo :

*Sed est hunc innata libido*

*Extimulat : pronumq; genus regionibus illis*

*In venerem est : flagitat vitio gentisq; suæ.*

Item Julius Cæsar, qui omnium mulierum vir, & omnium virorum mulier dicebatur apud Plutarch. & Semiramis Assyriorum Regina, quæ cum primò multos alios reges

reges virtute antecelleret, tandem tamen ubi ex incesto amore, non solum milites quosvis sibi placentes ad venerem provocavit, eosque ne stuprum proderent, aliquandiu in delitiis habitos interemit, sed proprii etiam Filij amore exarsit, ab eo ipso maternum concubitum execrante, interfecta fuit. Unde præclare *Anacharsis* dicere solebat: *Qui hujus virtutis extrema rectè cognoscere cupit, turpes intemperantium & in his ebriorum mores inspiciat.*

### XXVI.

*κατ' ἐλλειψιν* est *ἀναφροδισία*, omnis veneris affectata *detestatio*, hac qui laborat *ἀναφροδισία* h. e. à venere alienus dicitur. Ad hoc vitium referuntur 1. Sexus muliebris vituperatio & odium, qualis fuit in *Diogene*. 2. Prohibitiones conjugij, quas *Paulus* 1. *Timoth.* 4. expressè à *Diabolo* autore proficisci affirmat. 3. Simulata castitas, ut est *Monachorum* & *Clericorum*. 4. Violenta membrorum corporis mutilatio, qua nonnulli non saltem ab omni voluptatum usu, sed etiam ab incitamento immunes esse voluerunt, qualis fuit in *Origine*, qui ad vitandam venerem se ipsum castravit.

### XXVII.

Sunt qui huc choreas referunt tanquam libidinis irritamentum, sed distinctione est opus. *Alia enim saltationes sunt honesta & Christianis licita: alia inhonesta.*

### XXVIII.

*Inhonestæ* sunt leves & impudicæ, quæ fiunt à personis scurrilibus & impuris in locis inhonestis aut tempore inconvenienti. Hæ merito damnantur. Nam 1. sunt reliquæ *Ethnicismi*. 2. levitatis notæ & irritamenta libidinis.

mis. 3. malorum fontes: ex talibus enim oriuntur stur-  
pra, caedes &c. 4. viris bonis & honestis nunquam pla-  
cuerunt.

## XXIX.

*Honeste* fiunt à personis honestis & verecundis in  
loco honesto, præsertim publico, in præsentia honesto-  
rum, tempore convenienti, non aliis laboribus præser-  
tim sacris destinato, modo decenti, non impudicis circum-  
girationibus, & strepitu furioso. Hæ non simpliciter sunt  
illicitæ. Nam 1. Scriptura meminit saltationum Eccl. 3.  
v. 4. non in malam partem, neque alibi eas absolutè pro-  
hibet. 2. Sanitati profunt saltationes, dum & animus re-  
focillatur, & corpus à quiete & comotationibus libera-  
tum motu mediocri quasi vivificatur. 3. Splendor comi-  
tatis in moderatis apparet choreis, ut habet Casus. 4. Quæ-  
dam honoris gratia ducuntur, ut dicebat Imperator Fride-  
ricus Secundus. Ab honestis ergo honestè fieri possunt:  
Impiis autem & impuris nihil est purum.

## QUÆSTIONES.

1. An Temperantia sit virtutum maxi-  
ma? Dist.

2. An Temperantia sit idem quod Con-  
tinentia? Neg.

3. An Temperantia æquè versetur cir-  
ca gustum quam tactum? Neg.

4. An

4. An Virginitas sit species castitatis? Neg.

5. An Temperanti saltare liceat? Aff.

6. An pro alterius salute bibendum?  
Disting.

7. An vita per temperantiam & bonam dietam prolongari possit? Aff.

8. An in Repub. lupanaria toleranda sint? Neg.

9. Num mitius sint puniendi illi, qui per ebrietatem, quam qui sobriè peccant? Dist.

10. An usus vini ante diluvium fuerit cognitus? Aff.

*Sit tibi pro cunctis meritissima gratia donis,  
O ter amande Pater, ter venerande Deus,*



B ;

Præstan-



Præstantissimo Dn. Respondenti

**D**E Temperantiâ politè differis,  
Simulq; Vivis temperanter: maximis  
Utrumq; dignum est laudibus. Sic pergito!  
Eterna, Amice, Te manebit gloria.

*Boni ominis g. scribeb.*

M. Martinus Caselius, Fac.  
Phil. Adjunctus, nec non Ecclesiæ  
Jessenensis designatus P. & S.

---

**Q**uid prodest juveni pervolvere scripta soporum  
Assiduis si non excolat usus ea.  
Ergo facis rectè cathedram dum scandere gaudes  
Laurenti, dans hoc ingenij specimen  
Urge conatus felici fidere, tandem  
Premia sudantem, lausq; decusq; manent.

*Honoris ergò Præstant. Dn.  
Respondenti Amico perdi-  
lecto fac.*

M. Hieronymus Wezell  
Chemnicens

In.



**I**N decus excellens qui gaudet crescere quondam,  
Discat ut indomitam mentem cohibere, necesse est,  
Luxuriæ finem, ventri quoq; ponere metam,  
Ne Vires animi mutant, sacrumq; vigorem  
Imminuant, oriens virtus malè deperit unde.  
Istud abundè doces, *Laurenti*, publicè quando  
Conscendis cathedram, *Nigrino Preside docto*,  
Perge alacer studijs coeptis insistere, *Amice*,  
Sic quondam *Sophiæ* tibi præmia digna manebunt.

*Spavissimo suo συνοίνω  
fac.*

Sebastianus Nothe

**F I N I S.**



Sebastianus 1788

F I N I S



05 A 2357


ULB Halle 3  
003 784 142



VD 17







DISPUTATIO ETHICA  
*De*  
TEMPERANTIA,

*Quam*  
In Alma Leucorea  
DUCE DEO  
ET PRÆSIDE

WILHELMO NIGRINO

Phil. Pract. Professore Publico  
discutiendam

*Publicè proponit*

MATTHIAS ANDREAS LAURENTIUS  
Lipsiensis.

*In Collegij Veteris ἀποασησία*  
Ad diem IX. Nov. horis antemeridianis.

Ex Officina Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,  
ANNO MDC XXXVII.

*(Wittenberg)*

3

